



Rubr. XVIII. Nro. 25. C.

Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.

18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38



- 1) Jo. Jac. Quandt de Pontificis Maximi Suffraganeo, L. A. 1708.
- 2) Dan. Frid. Janus de Vite aurea Templi Hierosolymitani, L. A. 1706. —
- 3) Jo. Christoph. Ortliebii Samuel Judex et Propheta, non Pontifex aut sacerdos sacrificans, L. A. 1717.
- 4) Jos. Henr. Opitius de Jeremia, inter Prophetas Majores primo, L. A. 1704.
- 5) Jo. Oldermann de Regione Ophir, H. A. 1714.
- 6) Id. de Mari Asphaltite, H. A. 1717.
- 7) Jo. Georg. Michaelis Dief. II. de Victimarum corde, ad altare Domini non adducendo, F. A. 1720.
- 8) E. de Victimarum corde a cerebro, F.
- 9) Jo. Huld. Heydenus de Mosis resuscitatione, H. A. 1723. —
- 10) Cont. Frenii Dief. II. de duobus Panibus Pentecostalibus, B. A. 1729. et 30.
- 11) Alb. Schumacherus de Cemoscho, Moabitatum idolo, Br. A. 1730.
- 12) Theod. Daxforius ad titulum Celim. V. A. 1714.
- 13) Christ. Gottl. Schwartz de antiquo ritu elevandi Principes inaugurandos, A. A. 1730.
- 14) Jo. Simonis de מ'א. 777, 7777 A ו 777 H. A. 1731. —
- 15) Ern. Frid. Neubaueri Dief. II. de Michaele Archangelo, H. A. 1732. —
- 16) Ruardus Andala de Schilo, F. A. 1717.
- 17) Cont. Fren de Marah, B. A. 1732. —
- 18) Jo. Zach. Hilliger de Psalmorum, Hymnorum, atque Odarum Sacrarum discrimine, V. A. 1720. —
- 19) Gottl. Frid. Gudius de sensu Oraculi Salomonis, Coheleth v. 7. L. A. 1723.
- 20) Jo. Henr. Michaelis Historia Lingua Arabica, H. A. 1731. —
- 21) Gottl. Wernsdorffius de Davide ἀγοπαζω, V. A. 1717.
- 22) Jo. Andr. Lanz de Caino contra necem praemunio, F. A. 1732. —
- 23) Henr. Ern. Kestner de Juris prudentia Regis Davidis, F. A. 1730.
- 24) Theod. Haeuss de Jeschuruna, Br. A. 1730.
- 25) Sam. Andrea de Salute Adami, H. A. 1678. —
- 26) Franc. Wokenius de Esthere cum Ahavero conjugio, V. A. 1729.
- 27) Jo. Joach. Lange de Therapeutis, H. A. 1721. —
- 28) Christoph. Sonntagius de salute trium uxorum, Kothii, Jobi, et Pilati, L. A. 1707.
- 29) Christ. Bened. Michaelis Prolegomena in Jeremiam, H. A. 1733. —
- 30) Franc. Fabricius de Prophetia Noachi, Lugd. A. 1716. —
- 31) Gottl. Keysselitz de parte dupla Spiritus Elia, L. A. 1733.
- 32) Franc. Wokenius in Cantici Canticum posteriora Capita, V. A. 1729.
- 33) Id. de Templo, Cadaveribus Regum non inquinando, V. A. 1732. —
- 34) Jo. Godof. Unger de Papyro frutice, L. A. 1731.
- 35) Ern. Frid. Neubauer de Corpore Mosis, H. A. 1732. —
- 36) Id. de Angelo mortis, H. A. 1732.
- 37) Petr. Zornii Historia Thebarum, Sedini A. 1707.
- 38) Jo. Christ. Nimpfisch de Ammonitis, a Davide absque crudelitate sub jugum missis, L. A. 1731. —

- 39) Jo. Andr. Dantz de Davidis in Ammonitas mitigata crudelitate, J. A. 1710.
- 40) Jo. Christoph. Wichmanns häuser de ם' 705, V. A. 1713.
- 41) Georg. Mich. Doedertinus de Candelabris Judaeorum Sactis, V. A. 1712.
- 42) Jo. Ad. Quasius de voce שׁוֹרִי L. A. 1712.
- 43) Com. Hasseus de Mysterio Jobelai Israëlitici, Pr. A. 1700.
- 44) Jo. Dan. Cramerus de renibus animalium, præcipuis sacrificiorum partibus, S. A. 1714.
- 45) Jon. Conr. Schramm de Saulis autoheresia et factis extremis, H. A. 1700.
- 46) Seb. Schmidt de Didrachmis, a Christo solutis, A. A. 1730.
- 47) ~~Jo. Christoph. Klemm de Nummis Hebraeorum, F. A. 1710.~~
- 48) Mich. Siebentantz de Dudaim, V. A. 1719.
- 49) Jo. Georg. Michælis de incisura propter mortuos, F. A. 1732.
- 50) Christ. Bened. Michælis de Vocum semini bus, H. A. 1717.
- 51) — Andr. Murray de Kinsis, J. A. 1717.
- 52) — Alb. Schumacherus de pruna ab altari sumta, B. A. 1730.
- 53) Theoph. Siegf. Bayerus de Inscriptionibus Judaeorum Graecis et Latinis, R. A. 1721.
- 54) Henr. Jac. van Baskuyssen de manipulo hordeaceo, S. A. 1734.
- 55) — Gust. Georg. Zellnerus de horologio Pilati, A. A. 1724.
- 56) Jo. Dan. Kiesling de Dialectis tribuum Juda, Ephraim et Benjamin, L. A. 1714.
- 57) — Leonh. Hoffmannus de singulari Hebraeorum cura sepeliendi mortuos, J. A. 1727.
- 58) — Christ. Bened. Michælis de Antiquis prima Judaeorum historia, H. A. 1733.

47
DISSERTATIO THEOLOGICA

Unâ cum Corollariis ad Usûm pium S. Cœnæ invitans
De

**MYSTERIO JOBELÆI
ISRAELITICI,**

Quam,

Annuate DEO T. O. M.

Placidæ hominum eruditorum disquisitioni exhibebunt

P R Æ S E S

CORNELIUS HASÆUS,

SS. Theol. D. & Prof. Ecclesiæque

Martinianæ Pastor Senior,

Illustris Scholæ h. t. Rector,

&

R E S P O N D E N S

JACOBUS MEIERUS,

Bremâ Saxo.

A. d. Jovis III. Non. Martias, horis locoque solitis.



B R E M Æ,

Typis Hermannî Braueri, Illustris Gymn. Typ.

Anno 1700.

48

**D. HERMANNO
MEIERO,**

**JCTO. LIBERÆ. IMPERIALIS.
REIP. PATRIÆ. SENATORI.
SENIORI. ECCLESiarUM.
AGRARIARUM. DIŒ-
CESIS. BREMANÆ.
VISITATORI. ET. AD.
DIV. ANSGARI-
UM. ÆDILI.**

PATRI VENERANDO.

*Dissertationem hanc ea qua par
est Reverentia.*

D. D. D.

**Obedientiff. Filius
JACOBUS MEIER.**

DISSER-



DISSERTATIO THEOLOGICA

de

Mysterio Jubilæi Israelitici.

I.

DUm nunc *Superstitio* tota in celebratione *Jubilæi* Pontificii occupatur, quod neque planè Judaicum neque Christianum, sed Antichristianum & *mysteriorum iniquitatis* plenissimum est, nihil castæ *Religionis* cultores vel ab officio suo vel à temporis ratione alienum facient, si in *mysterium* verum *pietatis* inquirent, quod summa DEI Legislatoris Sapiencia sub Jubilæi olim Israëlitis præscripti umbris occultavit. II imprimis, qui cum Scholæ illustris civibus ad epulum se sacrosanctum præparant, cum cujus pio & devoto usu Dominus JESUS, verus Jubilæi Christiani promulgator, *plenissimam peccatorum omnium veniam* conjunxit, quam nunc multi frustra Romæ, & apud *Innocentium*, permissione divinâ Papam XII, quærunt. Quum enim è *calice*, qui sacrilego ausu populo DEI jam per tria fere secula ereptus à Papistis est, Servator discipulos *bibere* jussisset ad unum *omnes*, hanc addidit declarationem *indulgentissimam*. *Hic enim est sanguis meus, ille novi Testamenti, qui pro multis effunditur* εἰς ἈΦΕΣΙΝ ἁμαρτιῶν, *remissionem plenissimam & consummatissimam peccatorum.* Matth. XXVI. 28.

II.

Ne ergo nunc cogitationes nostræ in re tam sancta defixæ rebus distrahantur ad solidam parum pietatem

A

tem

tem facientibus, missis hac vice controversiis intricatioribus, cum philologicis tum chronologicis, de quibus in hac quidem nobili materia tot passim doctorum, indoctorum scriptiones extant,

quot in aethere sidera lucent,

Parvaq; quot siccus corpora pulvis habet,

id nobis putabimus potissimum esse negotii datum, ut sensu arcano priscae rei Jubileae. è tenebris in apricum producto, veram Jubilei spiritualis, sub N. T. à Christianis celebrandi, rationem intelligamus.

III.

Mythicum Legem omnem Jubileam ad res & tempora *Messiae* respectum habuisse, id neque veteribus quibusdam Judaeorum Magistris ignoratum fuit. Videri possunt, quae in hanc rem Josephus *de Voisin* c. IV. libri de Jubileo ex R. *Menachem Rekanatensi* & R. *Bechai*, alii ex libro *Zohar* & R. *Simeone Ben Jochai* alleganda duxerunt. Nobis de ea re convincendis vel solum illud unius *Paulli*, divi mysteriorum veterum interpretis, potest sufficere, quod non solum *no vilunium* aut *Sabbatha*, sed *μέγας ἰογ-
μῆς*, partem quamcunque festi, sive illud jam unius pluriumve dierum, sive integri anni fuerit, qualia certè festa anni Sabbathici & Jubilei erant, Colossenses doceat sic *umbram fuisse rerum futurarum*, ut corpus eorum fuerit *Christi*. c. II. vs. 16, 17.

IV.

Adumbravit autem celebritas isthac anni Jubileae primò quidem & in genere tempora omnia beatiora N. T. sub Rege Christo. Tum verò speciatim partem illorum ultimam, sive septimam periodum, quum Ecclesia rerum suarum statum meliorem latioremq; immò *Regnum* illud Christi in Terra, gloriosum quidem multis modis,

dis, sed *spirituale* tamen, contuebitur, de quo plenum est os omnium Prophetarum. Quò referas *καρὸς ἀναψύξεως* tempora refrigerationis à conspectu Domini, quorum D. Petrus meminit, & *χρόνος ἀποκατάστασις πάντων*, tempora restitutionis omnium, (*ἀποκατάστασις* Philo Judæus vocat annum Jobelæum) quæ loquutus est DEUS per os omnium suorum à seculo prophetarum. Act. III. 20. 21. Tertiò Annus Jubilæus typus quidam & pictura extitit beatissimi cœlitum in vita æterna status, qui Jubilæi omnis Christiani in terris exacti plena consummatio in cœlis erit, imperturbatam Ecclesiæ quietem, inconcussam *hæreditatis* patriæ possessionem, *libertatem* perfectam, & *letitiam* denique *seculorum* ferens.

V.

Nos in præsentia solam indagabimus *παρορθηλίαν*, quæ inter Jubileum vetus & tempus omne Evangelicum N. T. est. Hoc enim in primis *שנת גאולת* annus ille assertorum Messiæ, & *שנת רצון ליהודי* annus acceptationis Jehovæ est, cujus *Jesaias*, ille V. T. Evangelista, cap. LXI: 2. & LXIII: 4. mentionem facit, & ad cuius prædicationem testatur *Unctum* illum missum, super quo *Spiritus Domini Jehovæ* est, *ψ. 1.* De quo ambigere nemo poterit, qui, quæ Dominus Jesus in illum locum in Synagoga quondam Nazarethana, tradente D. Luca, c. IV: 16. 22. commentabatur, studiosè collaturus, eaque additurus est, quæ D. Paullus deinceps ex ejusdem Prophetæ c. XLIX: 8. Corinthiis suis de tempore novæ Oeconomix, tanquam *illo tempore accepto & die Salutis*, tradidit. 2. Cor. VI: 2.

VI.

Ne itaque quidquam nobis temere, quod huc pertineat, elabi sinamus, rem omnem *tribus* complexuri capitibus, & *primo* quidem ea contemplaturi sumus, quæ annus Jubileus cum Sabbatico *communia* habuit,

buit, five ille jam septimæ hebdomadis septimus, five quinquagesimus, hoc est, primus post septimam hebdomada fuerit. Tum verò, quæ anno Jubilæo *prima* fuere ac peculiaria. Denique, quibus *Sabbaticus* à Jubileo fuit *distinctus*, quæ in hunc tamen quoque rursus competunt, si non quinquagesimus, quod *Judæi* sciscunt, sed, ex sententia Josephi *Scaligeri* & sequacium, *septies septimus*, adeoque itidem *Sabbaticus* fuerit. Cujus equidem litis arduæ, magnis utrinque dudum cum rationibus tum auctoritatibus disceptatæ, nunc nos federe arbitri nolumus.

VII.

Ad classem primam referenda potissimum hæc videntur esse. *Ανωργυσία* five *Terræ à cultu vacatio*, *Usurpatio sponte nascentium*, *communis* & *publicus eorum usus*, *liberale omnium otium*, *latitia promiscua*, & idem denique anni utriusque, five *ensem spectes* five *diem mensis*, *initium*.

VIII.

Requiescere his annis agros, neque vel messem, vel vindemiam vel sementem fieri debuisse patet. De *Sabbaticis* Exod. XXIII. 10. 11. Lev. XXV. 2. 3. 4. de *Jubileis*, Lev. XXV. 11. Quâ quidem agrariâ veluti lege cavebatur, ne terra nimis exhauriretur. Nam inter remedia recreandorum agrorum P. quoque *Virgilius* præ omnibus ponit intermissionem, ita præcipiens colono Georg. I. 71. 72.

Alternis idem tonsas cessare no vales,
Et segnem patiêre situ durescere campum. Et paulo post 73.

Nec nulla interea est inaratæ gratia terræ.
Sed inprimis hoc *Terræ Sabbato* Deus fideles in populo monere videtur voluisse, diebus *Messia* terram *promissionis*

tionis non amplius tanquam *pignus* quoddam bonorum futurorum colendam & exercendam, sed & hanc, & omnem præterea *creaturam*, à *vanitate* & *servitute corruptionis*, cui non *volens*, sed *propter eum subjacet*, qui *subjecit illam sub spe*, in *libertatem gloriosam filiorum Dei* magis magisque *liberandam*, Rom. VIII. 20. 21.

IX.

Vivebant interea *Israëlitæ* ex iis, quæ sponte proveniebant, sive ex granis aristarum superiori messe in terram excussis, sive ex radicibus tum demessis & nunc denuo succrescentibus. Item ex fructibus arborum atque vitium autumnalibus, qui quamquam messis nulla superesset, tunc superabant. Accedente præsertim ubere proventu anni præcedentis sexti, ex peculiari *benedictione DEI*, *datura tum fructus trium annorum*. Lev. XXV. 20. 21. 22. Quam tamen promissionem non perpetuam fuisse, sed à *conditione faciendorum præceptorum & custodiendorum judiciorum DEI*, expressa v. 18. & 19. pependisse censendum est. Quod si enim sextus quisque annus Judæos semper luxuriante messe beavisset, cur *Alexandro* Macedoni petere à se ingens beneficium aliquod jubenti significassent, nihil sibi posse majus dari, quam uti ne Rex septimi anni tributa exigeret? Teste *Josepho*, Antiq. XI. 3. Cur Rex *Janneus*, externorum imposito tributo compulsus, edictum proposuisset: *Exite, seminate anno Sabbathico tributi nomine?* Interea beatâ hac vivendi ratione depingebatur piis *Israëlitis* felix hominis in *Paradiso* status, cui ipsa sponte suâ *fundebat humo facilem victum justissima tellus*. Sed & ipsi, cessante hac agricultura revocati à nimia rerum terrenarum cura, edocebantur, sub *Messia* hanc fore populi fidelis indolem, ut ne nimium *soliciti de die crastino*, quidque *comesturi aut bibituri essent*, penderent in hisce unice à cœlesti

DEI patris providentiâ, non habentes ubi sererent aut
 meterent, at interim certi, *quærentibus primum regnum DEI*
& iustitiam eius hæc omnia velut in cumulum adiectum iri.
 Matth. VI. 31-33. *Pietate, quæ ad omnia utilis est, promissio-*
nes habente vitæ presentis ac futuræ. 1. Tim. IV. 8. *DEO-*
que pro potentia sua effecturo, ut ἐν παντὶ πάντοτε πάντων ἀντέ-
κειαν ἔχοντες, in omnibus semper omnem sufficientiam haben-
tes possent exuberare in omne opus bonum. 2. Cor. IX. 8.

X.

Erat autem usus horum alimentorum sponte
 nascentium promiscuus, & *pauperibus populi cum diviti-*
bus, & agrorum dominis cum servis & ancillis planè commu-
nis. Exod. XXIII. 11. Lev. XXV. 6. Unde nec agri se-
 pti, vel vineæ clausæ relinquebantur, teste *Maimonide* in
Hilc. Schemita vejobel. Licebatque cuivis, non quidem
 in horrea cogere fruges, aut quidquam earum vendere, sed
 parcâ, quod satis erat, manu singulis vicibus sumere, id-
 que trituratam & commolitam illico comedere. Quæ qui-
 dem res cum ipsos Judæos *benignitatis & æquitatis paupe-*
rioribus exhibendæ commonefaciebat, tum futuram illam
sub N. T. in populo DEI bonorum omnium & spirituali-
um & corporalium communionem præfigurabat. Neque e-
 nim solum *communem fidem, communemque salutem,* Tit. I.
 3. Jud. v. 3. sed & cetera omnia bona *communia habituri*
erant credentes in Christum, neque quisquam eorum dicturus,
aliquod eorum, quæ possideret, suum proprium esse. Act. II.
 44. 45. IV. 32.

XI.

Immò neque *pecora & jumenta* id temporis ab
 usu τῶν ἀυτοφωτῶν arcere per legem licebat. Lev. XXV. 7.
 Unde & ex mente Rabbiorum tum stipulas comburere,
 utpote alimento bestiarum idoneas, nefas fuit. Qua qui-
 dem

dem in re Animalia elegans esse emblemata poterant gentium ratione illuminatâ carentium, & in iis, quæ naturâ sciunt, se corrumpentium, ὡς τὰ ἄλογα ζῶα, sed tempore N. T. participaturarum fruges fructusque terræ Canaan, hoc est, beneficia Ecclesiæ, communemque adeo cum Israële vero DEI cibum habiturarum. Simulatque scilicet τὰ ἔθνη συγκληρονόμα καὶ σύσσωμα καὶ συμμετόχα τῆς ἐπαγγελίας αὐτῆς, Gentes cohæredes, & ejusdem participes corporis, consortesque promissionis ejus in Christo, per Evangelium factæ essent. Eph. III. 6. Confer Act. X. 12. 35. Quemadmodum nec gentes deinceps sub gravi jugo legis cerimonialis, quod neque Judæi neque patres ipsorum potuerunt portare, anhelaturæ erant. Act. XV. 10. Perinde ac boves aliaque jumenta his annis jugum non subibant, sed spontaneis agrorum proventibus pascebantur.

XII.

Jam, dum terra jubebatur feriari, non minus Israëlitæ ipsi per integros hosce annos merum quoddam & perpetuum agitabant Sabbathum. Ut toto anno, quæ verba sunt Joh. Cocceji, viverent tanquam liberi aut nobiles, non ut rustici & agro servientes: Atque ita haberent occasionem eò diligentius legendi & scrutandi legem DEI & Prophetas, liberati ab omni alia occupatione. Insigni documento, pariter aliquando sub Oeconomia nova Israëlem DEI ab operibus suis, hoc est, peccatis cessaturum, fruentem quiete consummatæ per Christum conscientie, liberum ab onere omni legis & servitute peccati, operantem autem opus DEI, quod est credere in eum quem misit ille, ac studio indefesso explorantem, quæ sit voluntas DEI bona illa, acceptaque & perfecta. Heb. IV. 9. 10. Matth. XI. 29. Joh. VI. 29. Rom. XII. 2.

XIII.

Uti autem porrò cum hac tam tranquilla quiete

te

te & rerum omnium abundantia non potuit non conjuncta esse magna quædam & religiosa *letitia*, ita & *regnum DEI* sub N. T. merum *gaudium in Sp. S.* & continuum quasi quoddam convivium futurum erat, piis omnibus ex Judæis atque gentibus in *Domino*, *DEO vivo* verè & ex animo *exultaturis & deliciaturis*. *Jes. LXI. 3. 10. Rom. XIV. 17. Phil. III. 1. IV. 4.*

XIV.

Mensis, quo annus & Jubileus & Sabbaticus exordium suum capiebant, erat *septimus* sive *September* Anni sacri, *primus* anni civilis, dictus *Tisri*, excipiens ordine *sex* menses antecedentes *molesti laboris*, uti dies *Sabbati*, *septimus* hebdomadis, *senos* excipit inter labores varios manuum exactos. Sic fortassis numero illo septenario *mensis*, non minus quam septenario *dierum* atque *annorum*, præsignificabatur, post *sex* illa distincta tempora, sive periodos V. T. laboris atque oneris plenissimas, secuturum tempus *novum*, novæ Oeconomix principium, quod כל שבת perpetuus quidam *συσβαστιμὸς* & annus Jubileus esset futurum.

XV.

Dies verò mensis *Tisri* fuit non *primus*, ut quibusdam saltem de anno *Sabbatico* visum fuit, sed utrobique *decimus*, dies nempe solemnissimus expiationum, יום הכפורים quo Pontifex maximus cum *sanguine animalium extra castra crematorum* in sanctum sanctorum ingrediebatur, populo interea jejunante & animam adfligente. Ut nimirum prænotaretur, *annum* verum *gratiæ*, hoc est quietis, ἀφείσεως, libertatis & lætitiæ promulgari & prædicari, ablatâ tristitiâ & servitute spirituali omni, non posse, nisi postquam *magnus ille Pontifex super domum DEI*, *non per sanguinem hircorum & vitulorum*, sed per sanguinem pro-

(9)

propriū ingressus esset semel in sancta, ut aboleret per mortem eum, qui mortis habebat imperium, hoc est Diabolum, & liberos redderet eos, quicunque metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti. Heb. II. 14. 15. IX. 12. XIII. 11.

XVI.

Vidimus ὡς ἐπιπραχάδην ea, quæ anno Jubileo cum Sabbaticis communia sunt. Sequuntur, quibus ille, tanquam privilegiis quibusdam ab iis discriminatus est. Atque ista potissimum sunt hæc tria. Clangor sollemnis buccinarum, Servorum omnium servarumque emancipatio, & agrorum fundorumque ad veteres dominos reditus.

XVII.

De Clangore universali non solum Hierosolymis, sed longè lateque per totam terram, quâ illa patebat, ad promulgationem Jubilei edendo, disertum extat mandatum. Lev. XXV. 9. Quem clangorem respiciunt plerique, qui in explicanda subobscura significatione vocis יובל periclitati ingenium suum sunt. Sive putent illam arietem & synecdochicè cornu arietinum denotare, adeoque hunc annum *Jobel* vocari, quia buccinâ è tali cornu confectâ tum temporis clangorem excitârint. Quæ post Chaldæum & R. Aquibam communis Rabbiorum & Thalmudistarum sententia est. Sicut & Judæos hodieque die expiationis cornua arietina inflare in memoriam Jubilei, testatur Buxtorffius Synag. Jud. c. XXI. Nam & à Judæis aceto mollita ita parantur, ut ad inflandum apta fiant, & præterea per se ad sonum edendum nonnulla non incommoda videntur, Plinio H.N. XI. 27. observante, cornu arietis *carvum*, & in mucrone demum concretum esse. Sive vocem ab יובל duxit, adduxit, derivent, ob sonum tubæ vel ductum paullatim protractumque, vel diductum diffusumque, sc. per universam terram, ex mente præcepti,

B

vi. 9.

vf. 9. Quod & sensisse *Lutherus* videtur, quum vertit Germanicè: *Das Hall-Jahr*. Sive cum *Masio* & *Bocharto*, quibus & alii secundas faciunt, existimetur, & Hebræorum *Jobel* & Latinorum *jubilare* deducenda à *Jubale*, primo Musicæ inventore. Gen. IV. 21. Ut significantur voces canoræ quidem, sed duræ & quasi ululantes. Quales videlicet olim instrumenta illa Jubalis rudia primumq; inchoata, & nunc apud Judæos tum cornua, sive illa jam arietina sive bubula fuerint, in festo Jubilæo inflata, tum clamores læti & ἀλαλαγμοὶ fervorum manumissorum, & pauperum ad avitas possessiones revertentium, ediderant. Hinc *Piscator*: *Das Jubel-oder Hall-Jahr*.

XVIII.

Quidquid verò de vocis *Jobel* notione & origine sit, hoc certum est, illos per universam regionem ad publicandum Jubilæum clangores, quibuscunque tandem, tubis buccinisve sint excitati, aptissimum emblemata fuisse, *clararum* illarum & altarum *vocum*, quibus *annus gratiæ* & libertatis sub N. T. annuntiandus & prædicandus fuit. Vidit hos buccinatores jam olim in Spiritu Rex *David*, audivit eorum sonos & clamores Propheta *Jesaias*. Ille quidem, quum Ps. LXVIII. 12. ita vaticinatur: *Dominus dat dictum. Evangelizantium est exercitus multus*. Hic verò, quum c. LII. 8. velut exultabundus clamat: *Vox speculatorum tuorum! Sustulerunt vocem, pariter canunt, quia oculo ad oculum vident, quòd DEUS reverti faciat Sionem*. Non solum homines sed & *Angeli* lætissimum illud T. N. jubileum ebuccinârunt, cantantes: *Gloria in excelsis DEO, & in Terra pax, in hominibus bona voluntas!* Luc. II. 14. Immo ipsa SS. *Trias*, verba sunt τῆ νῦν ἐν αἰσίοις J. H. *Heideggeri*, illud indixit: *Pater ex nube clamans: Hic est Filius meus dilectus, in quo acquiesco, hunc audite!* Matth.

Matth. III. 17. *Filius denuntians remissionem captivis, &*
(quod addendum puto) in tractatione loci Prophetici de
anno acceptationis Jehovæ exclamans: Hodie impleta est
hæc scriptura in auribus vestris! Luc. IV. 18. 21. Spiritus
S. per tubas suas, Apostolos, imprimis Paulum proclamans:
Notum igitur esto vobis, quòd per HINC nobis remissio peccà-
torum annuntiatur, & quòd ab omnibus, à quibus per legem
Mosis non potuistis absolvi, per hunc omnis credens absolvi-
tur. Act. XIII. 38. 39.

XIX.

Servi & ancillæ gentis Ebrææ manumittebantur,
 si vellent, anno *septimo* suæ servitutis. *Sex* enim annis
 serviendum ipsis erat. Exod. XXI. 2. Deut. XV. 12. Ut
 errent, qui putant liberos exivisse anno quovis Sabbatico.
 Hoc enim tum factum non est, nisi se vel vendidissent,
 vel ob grave delictum, ut aliis servirent, coacti fuissent
 statim anno primo, qui Sabbaticum antecedentem exce-
 perat. Ut Sabbatici anni nihil heic videantur quidquam
 privilegii habuisse præ annis reliquis intermediis. At anno
 Jubilæo citra discrimen unâ cum liberis suis egrediebantur
 & ad familiam suam redibant omnes, sive vellent sive
 nollent, etiam *servi seculi*, hoc est illi, quorum anno se-
 ptimo in voluntariam servitutem, usque ad heri vel
 suam mortem, semet dedentium auris subulâ perforata fu-
 erat. Lev. XXV. 40. 41. Neque minus ii, qui se *pere-*
grino aut advenæ in terra Israël, quàm qui se fratribus suis
 vendiderant. v. 47-54. Mancipiis interea è gentibus
 perpetuæ servituti addictis, & hereditario jure ad posteros
 transmittendis. v. 45. 46. Quæ res adumbrabat egregie ingens
 illud N. T. bonum, spiritualem & plus quàm auream *libertatē*,
 quâ quicumque sunt de populo electo emancipantur à ser-
 vitude legis & peccati. Joh. VIII. 36. Rom. VIII. 2. Gal. V. 1.

Reprobis interim, qui se per omnem vitam *servos* ostendunt *injustitiæ*, nunquam liberandis à lege peccati & tyrannide Satanæ. Quò itidem pertinet, quòd Christus *missus* dicatur *ad prædicandum* cum anno gratiæ *קרי* (quâ voce & Moses Lev. XXV. 10. in re jubilea utitur) *ἀφεσις*, libertatem abductis in captivitatē, & vindictis acutum visum. Jes. LXI. 1. Luc. IV. 18. Quémadmodum Magistri tradunt anno Jubileo fores carcerum quascunque in terra Canaan adaperas fuisse, ut liber captivis omnibus pateret exitus.

XX.

Præcipuum autem illud, quo anni Jubilei præ Sabbaticis elucebant, erat gratuita *possessionum immobilium restitutio*, sive venditæ & oppignoratæ ex paupertate, sive donatæ alicui aut alio quocunque titulo alienatæ essent. Lev. XXV. 10. 13. Atque huc imprimis respiciunt, qui annum dictum putant *Jobel* ab *הוביל* adduxit, quòd tum ab alienata rursus ad possessores pristinos adducerentur. Ut secundum A. *Varenium*, Germanicè dici percommode possit: *Ein allgemeines Wiederbringens Jahr*. Sic N. *Fullerus*, secutus *Syrum*, pertendit *שנת הוביל* idem esse quod *שנת המוביל*, *annum reducentis*. Non licebat ergo quidquam *terræ* vel agrorum vendere aut emere *לצמיתה* ad excisionem, hoc est, lege mancipii, sive absolutè ac in perpetuum. *¶. 23.* Quod si autem pacto aliquo aut conventionē factum, nec ager intereà loci vel à vendente ipsomet, vel à Goële ejus, quod licebat, redemptus esset, Jubilæo tamen anno necessariò redibat ad Dominum, qui fuit ante, suum. *¶. 23-28.* Quâ ratione DEUS se unum *terræ* totius *Dominum* demonstrabat, ad quem omnia velut postliminii jure revolvebantur, assignantem ea rursus iis, quibus in prima partitione cesserant, quique *peregrini* duntaxat & *inquilini* erant apud ipsum, *¶. 23.* Præterea & *familiarum*, quæ
incon-

inconfusæ permanere ad Messiam usque debebant, conser-
 vationi cavebat, & quandam in populo æqualitatem ser-
 vans, opulentiorum compescebat avaritiam, *continuatu-
 rorum ceteroquin domum cum domo, & agrum approxima-
 turorum ad agrum, eò usque ut locus non esset, effecturorum-
 que tandem, ut soli habitarent in terra.* Es. V. 8. Præprimis
 verò suis velut in imagine quadam ob oculos ponebat, o-
 mnes, qui pertinerent ad populum DEI, per resipiscen-
 tiam & fidem in Christum ad hæreditatem cum gratiæ
 tum gloriæ divinæ, avitam suam possessionem, quam ne-
 mo quisquam *corruptibili auro & argento* vel emere potest,
 vel vendere & alienare à se debet, Act. VIII. 20. at à qua per
 peccatum excidimus, tanquam *hæredes DEI & cohæredes
 Christi*, aliquando reducendos, ut adeo ad *participationem
 κλήρας sortis sanctorum in luce* perveniant. Rom. VIII. 17.
 Col. I. 12. Eph. I. 18. Confer Luc. XV. 22. 23.

XXI.

Hæc tamen Lex exceptionem quandam patiebatur quo-
 ad *domos in urbibus* munitis extructas, quæ, nisi intra an-
 num unum redimerentur, emtoris erant in perpetuum, ne-
 que redire vel ipso Jubilæo unquam ad venditores pote-
 rant. Lev. XXV. 29. 30. Sed & ab hoc præscripto rursus
 eximuntur ædes Levitarum & Sacerdotum, quæ non mi-
 nus, quam domus ceteræ in agris & urbibus dirutis, vel
 redimi semper poterant, vel in jubileo revertebantur ad
 dominum priorem. *Suburbana* autem quædam Levitarum
 vendere prorsus erat nefas. 31-34. Quo significabatur, quos-
 dam quidem Ecclesiæ visibilis inquilinos ita *sortem heredi-
 tatis cœlestis negligere & amittere* posse, ut, nisi maturè ad
 eam *redeant*, deinceps omni spe eam unquam recuperan-
 di excludantur. Act. VIII. 21. Heb. VI. 4-6. Veros autem
 fideles, qui *DEI peculium regiumque ejus Sacerdotium* sunt, nun-

B 3

quam

quam plenè planèque gratia DEI & hereditate immarcessibili ,
quæ ipsis in cœlis conservatur, excidere posse. 1. Pet. I. 4. 5.
II. 9. sed clangente tubâ DEI, & appetente magno illo
Jubileo futuræ vitæ, certo certius in domum familiamque
DEI patris sui, à quam tam diu exularunt, tandem redu-
cendos. 1. Theff. IV. 16-18.

XXII.

Satis ex hisce patet conventa & transactiones in ven-
dendis & emundis agris non tam de fundo, quàm de ejus
annuis proventibus fuisse, quot illi nempe ad Jubileum
poterant expectari. Ut, quanto plures anni remanerent ad
Jubileum, tanto magis cresceret & pretium: Et quanto minus
temporis numerabatur, tanto minoris & emptio constaret. Lev.
XXV. 14-16. Eoque nec Sabbatici anni, quia in iis pro-
ventus non erat, secundum Magistros, computabantur.
Quis jam non videt, Sapientissimum Legislatorem hoc
pacto & veterem populum cohibere à nimio studio rerum
terrestrium periturarumque, & novum docere efficaci-
ter voluisse, ut ne se amori illarum unquam immerge-
ret, sed res omnes possessionesque hujus mundi, nos
presertim, in quos termini seculorum inciderunt, tanto mi-
noris duceremus, quanto propius absumus ab anno illo ma-
gno Jubilei æterni, magis indies magisque festinis passibus
appropinquantis? Matth. VI. 19-21. Col. III. 1. Quam in rem
pereximia sunt verba Pauli: Coeterum illud dico, fratres, ὁ και-
ρὸς συνεσπελμένος τὸ λοιπὸν ἐστὶ, tempus opportunum contractum in
angustum in posterum est. Ut qui uxores habeant, sint tanquam
non habentes. Et qui flent, ut non flentes. Et qui gaudent,
tanquam non gaudentes. Et qui emunt, tanquam non possiden-
tes. Et qui utuntur mundo hoc, ὡς μὴ καταχρώμενοι, tanquam
non abutentes. Præterit enim τὸ χῆμα, figura hujus mundi. 1.
Cor. VII. 29-31. Confer, sis, quæ acute heic cogitavit
acerri-



acerrimi Theologus iudicii, Joh. d' Espagne, opusculo-
rum Tom. II. p. m. 242.

XXIII.

Supereſt, ut ea addamus pauca, quibus An-
ni Sabbatici à Jubileo fuere distincti, si ille à septimo Sab-
batico proximus sive *quingagesimus* fuerit. At quæ tamen
idem rursus non potuit non cum Sabbaticis communia ha-
bere, si sententia vicerit plerorumque Chronologorum,
qui septimæ hebdomadis ultimum, hoc est, *quadragesimum
nonum* pro Jubileo habent. Sunt autem hæ res duæ potissimum,
Remissio debitorum pecuniariorum, & sollemnis prælectio Legis.

XXIV.

Cum *obærat* apud *Athenienses* columnis in arce sum-
ma civitatis ad ignominiam perpetuam inscriberentur,
apud *Romanos* in nexum & compedes darentur, etiam
supplicio capitis, si ad nundinas tertias non solvissent, af-
fecti, & apud gentes alias aliis duris modis exciperentur,
incredibili DEUS bonitate erga *χρῆσθελίταις* in suo populo
usus est. Anno enim quovis septimo Israelitis ære alieno
oppressis & remittendum debitum, & mutuum non reddi-
tum dimittendum gratis erat. Deut. XV. 2. 3. Unde & an-
nus non solum quadragesimus nonus sive septies septimus,
sed *septimus quinquagesimus* *שנת שמיטה* *Annus à φέσεως* sive remissionis
vocabatur. vs. 9. XXXI. 10. Fiebatque hæc nominum
expunctio, si Judæos audimus, annis Sabbaticis *finientibus*,
uti dimissio fervorum & fundorum restitutio, annis Jubi-
leis *ineuntibus*. Uti verò DEUS hoc pacto veteres ad stu-
dium misericordiæ & beneficentiæ, virtutum filii DEI
tam dignarum, & tantopere à Viris DEI commendatarum
(Prov. XIX. 17. XXII. 9.) adsuefaciebat, ita & typū iis pignus-
q; repræsentabat concedendæ sub N. Federe plenissimæ o-
mniū *peccatorum remissionis*. Rom. VIII. 1. Eph. I. 7. Col. I. 14. II.
13. Hac tamen conditione, ut & ii, qui remitti sibi sua
debita

debita postulant, suis etiam promptè lubentiq; animo remitte-
rent debitoribus. Matth. VI. 12. 14. 15. XVIII. 32-35. Col. III. 13.
XXV.

Tandem anno unoquoq; Sabbatico, in festo taberna-
culorum, *Legem prælectam* publicè omnibus fuisse, ex Deut.
XXXI. 9-13. in propatulo est. Quod Rabbini scribunt à
Rege vel Pontifice M. in atrio ex suggestu ligneo pera-
ctum. Neq; dubitandum sic præmonstratum typicè, &
Israëlem DEI id operam sedulo daturum, ut *sermo Christi*
inhabitaret in se copiosè in omni sapientia, Col. III. 16. &
DEUM ipsum ex promisso Testamenti N. *Leges suas da-*
turum in mentem suorum, & in corde illorum inscripturum
illas, Jer. XXXI. 33. Heb. VIII. 10.

XXVI.

Atq; ex his quidem constare jam satis arbitramur,
posse, quænam cum *veteris & umbratici*, quod unâ cum
Pædagogia omni typica dudum exspiravit, tum *novi atq;*
spiritualis, quod in illius locum successit, & nunc non uno
aliquo anno, sed per omnem vitam celebrari à genuinis
Christianis debet, Jubilæi sit ratio. Si jam contendere cum
his Jubileum *Papale* velimus, & ea apud animum nostrum
recensere, quæ nuper de eo in *Oratione* solemnî pro *Au-*
spicio felici Reçtoratus dicta sunt, pariter ad oculum pate-
bit, illud *dis dià πωων*, quod dicitur, discrepare ab hoc
utroq;. Neque forte pleraq; ejus mysteria iniquitatis fe-
licius & pleniori quisquam compendio unquam comple-
xus est, quàm magnus ille bellorum Jehovæ in Gallis con-
tra errores Papismi gestorum Pammachus & Pancratiastes,
Daniel *Chamierus*, quum Jubilæum Pontificium in Panstra-
tia Catholica dixit esse *Papismi corculum & delicias, peccan-*
tium asylum, Purgatorii mœrorem, Diabolorum terricula-
mentum, Ecclesiæ Romanæ emporium, Papparum
triumphum.

COROL-

Est persolutum debitum,
Quod ipse Tu contraxeras,
Quod Te coëgit vendere
Hæreditatem patriam,
Et Te; nefanda crimina
Sunt *expiata* sanguine
Christi; strepunt nunc undique
Illæ sonoræ buccinæ.
Illæ jubent Te liberum
Nunc esse. Namque nunc novus
Est annus ille gratiæ.
Servire nunc tandem Tibi
Soli licebit Numini.
Ad Abrahamum accedere,
Aliosque filios Dei,
Unum Tibi per Spiritum
Junctos, licebit libere.
Tandem quietus patrias
Hæreditates occupa.
Paradisus ipse etiam Tibi
Occlusus olim, nunc patet.
Desiste nunc Terrestria
Veteris Cananis anxie
Curare: Namque tempus est
Soli vacare Numini.

L. M. Q.

J. Conr. Kessler. P.

Tristia



TRistia cùm caneret Deus ævi fata
futuri,

Ac Antichristi venturi signa doceret,
Inter plura quibus dignoscatur, quoque
nobis,

Tempora mutaturum & leges, tradidit,
ipsum

Fallor & aut multum, aut nuper quoque
prodidit hoc se

Crimine Papa, hodie quem poplite Ro-
ma recurvo

Tota colit, divo que velut dignatur ho-
nore.

Namque umbras Veteris Testamenti
revocavit,

Festa que Judæis quondam celebrata re-
duxit.

Ille Dei populum per Christum lege solu-
tum,

Denuo sub legis juga misit deterioris.

O crudele nefas, Christo que Deo que,
probrosium!

San-

Sanctius at pendis, Claro Duce & Auspi-
ce Hafæo,

O Meyere, decus patrii & laus prima
Lycæi!

Quis fit Judaici verus sensus Jubilæi,
Et libertatem, quæ Christi morte parata.

appofuit A. S.

L. E. Kefslef, SS. Th. St.

•••••

שיר חרוזי לתפארת ה"נרר
יעקוב בר מאיר יצו
דודי שאהבת עולם
אהבתי

הבו כל איש ישראל שממששים
כמא עורים בקבלא ומתחפצים
ראות אור דאוריתא הוו מקשיבים
בדברי רבי מאיר המפוארים
ותשכילו יובל וכל מוסתרים
אשר בו כי לזת קטון בחכמים
אמונתו גדולה מכל רבים
ישנים שאין היו חוכמת אלוהים
מבינים על כן אליו נהרו כמים
ושמעו לאמריו שכשמן טהורים
מתוקים מן חרבש וטפת צופים
יכולין השיב לבכם לאלוהים
ולמלך משיח יי תביט משמים
בעמך וקבץ כל שארית יהודים:

כו דברי הק גאורגיוס בר סתעלמאן יצו:

Si





SI revocare licet dilectos mente Sodales,
Patria quos tellus vel peregrina dedit.
Certè, nemo fuit *Major* mihi junctus amore,
Quam *Tu Meierus, Pars mea, dulce Decus,*
Ergo, num sterilis jamjam mea Musa quiescit,
Nec canit *Aonidi* carmina grata suo?
Carmina? queis possim *doctas* celebrare *Camenas?*
Tàm crescit *Famæ* gloria magna *Tuæ!*
Porrò stude optatam cursu contingere metam,
Nec cessa *Aoniis* invigilare *choris.*
En *Themis* alma tibi decernet jure brabeum,
Et *Tibi Pierides* laurea ferta dabunt.


Johannes Bienertus Berenb.
Anhal. SS. Theol. Stud.




Sic tu non tantum sedes Tarpeja triumphas:
Nam terris nostris & JUBILÆUS adest.
Sed MEIERE tuus, quantum mutatus ab illo!
Ille adipem Papis, hic tibi ferta parat.
Hic narrat, MEIERE, Dei, & nostros Hymenaeos:
Ille Deum vendit, dat Phlegethonta viris.
O (perii!) quam Roma furis, Roma impia! cur non
Servas, quem vendis, dic furiosa, Deum?
En, ultor scelerum, quartus CORNELIUS instat:
Hos tibi fatales, Roma, Sibylla canit.

N. Westermann.

F I N I S.





99 A 6957

ULB Halle

3

002 826 607



86

Vb 17

Ratio ✓





47

THEOLOGICA

Usum pium S. Cœnæ invitans

De

JOBELÆI

ELITICI,

Quam,

DEO T. O. M.

orum disquisitioni exhibebunt

Æ S E S

US HASÆUS,

Prof. Ecclesiæque

e Pastor Senior,

holæ h. t. Rector,

&

ONDENS

S MEIERUS,

nâ Saxo.

artias, horis locoque solitis.



E M Æ,

eri, Illustris Gymn. Typ.

no 1700.

Handwritten signature or initials.

